

NB. Ceterum, utrum singuli confessarii regulares habeant hasce facultates, utrum licentiam expressam petere debeant a Superiore, et a quo Superiore, necne: diversorum ordinum Constitutiones consulendae sunt.

655 III. Reliqua privilegia seu favores sunt haec praecipua:

1. Possunt celebrare una hora ante auroram: S. Alph. n. 122. Quod autem ibi addit, posse eos ex justa causa immediate horâ secundâ post mediam noctem — idque pro toto anno — celebrare, solida ratione destituitur, et ex oblivione videtur S. Doctor id ibi reliquisse, siquidem l. 6 n. 342 expresse docet, hoc privilegium revocatum esse a Tridentino. — Nec quidquam valet, quod dicitur Clem. VIII. hoc privilegium ab Alex. VI. monasterio Montis Serrati concessum confirmasse et extendisse ad totum ordinem Benedictinorum. Nam haec extensio nihil aliud est, nisi *generalis* extensio privilegiorum monasterii Montis Serrati ad totum ordinem: at privilegium illud ab Alex. VI. datum non amplius viguit; ergo non potuit extendi.

2. Possunt — saltem ii qui communicant in privilegiis cum Societate Jesu — in suis domibus erigere oratoria a Provinciali designanda, in quibus Missae et officia divina celebrari possint ab omnibus. Ex concessione Greg. XIII. „*Decet R. Pontificem*“ 1575; cf. S. Alph. n. 121.

3. Possunt ordinari extra tempora; quod, nisi legitima consuetudo ita interpretata sit, ut intelligatur de quovis festo ritus duplicis in choro, per se potius restringitur ad dies Dominicos et festivos de praecepto, i. e. qui aut sunt, aut ante reductionem erant de praecepto festivi: v. S. Alph. de *privil.* n. 115 et 116, l. 6 n. 797; et hic supra n. 605.

4. Possunt permittere, ut concionentur simpliciter tonsurati, modo de sufficienti aptitudine constet (ex Const. Greg. XIII. „*Vigore privilegii*“, et aliis aliorum SS. Pontificum Constitutionibus apud Salmantic. tr. 18 c. 4 n. 174). Requirit autem Trident. Cone., ut „a suis Superioribus de vita, moribus et scientia examinati et approbati fuerint“: sess. 5 cap. 2.

Reliqua privilegia in compendium redacta v. apud S. Alphonsum, *appendix de privil.*; Salmant. tr. 18, quorum expositionibus tamen non in omnibus subscribi potest. — Amplissima autem existit communicatio perpetuorum privilegiorum inter diversos ordines: 1) apud Mendicantes, qui omnia privilegia inter se communicant et privilegia cujuslibet alius ordinis vel instituti communicando recipiunt — nisi forte in certo aliquo privilegio exceptio exprimitur —; 2) etiam aliis ordinibus fere concessa est communicatio cum Mendicantibus: atque ex hac sumptione profecti sumus in enumerandis privilegiis; quare si quis ordo sit, qui hac communicatione non fruitur, ejus sodales ex *propriis* constitutionibus colligere debent, quid facere valeant; 3) neque solum in viris religiosis haec communicatio viget, sed etiam apud moniales, in quantum capaces sunt: S. Alph. c. n. 9—11, Salmantic. l. c. n. 88—99; 4) communicatio autem illa, quum favor sit, in odium verti nequit: quare non valet contra propriam cujusque ordinis disciplinam, neque principaliter singulorum sodalium bonum et commodum respicitur, sed *ordinis*.

## Tractatus VIII.

### De Matrimonio.

Scriptores de matrimonio tractantes habes praeter alios, qui de tota theologia morali sive de universo jure canonico scripserunt, praecipuos: Sanchez *disputationum de S. matrim. sacramento lib. decem*, Kugler *tract. theol.-canon. de matrim.*, Roscovány *de matrimonio in Ecclesia catholica*, Perrone *de matrimonio christiano*, Carrière *praelectiones theolog. de matr.*, Martin *de matrimonio etc.*, von Schulte *Handbuch des katholischen Ehe-rechtes*, Kutschker *das Eherecht der katholischen Kirche*, Knopp *vollständiges katholisches Eherecht*, Haringer *das heilige Sacrament der Ehe*, Weber *die canonischen Ehehindernisse*, Feije *de impedimentis et dispensationibus matrimonii*, Bangen *de sponsalibus et de matrimonio*, Mansella *de impedimentis matrimonium dirimentibus*, Allègre *impedimentorum matrimonii synopsis etc.*

Matrimonium, quod ab initio creationis non ut solum naturae officium, sed ut res aliqua sacra a Deo institutum est, Christus ad majorem sanctitatem veri N. Legis sacramenti evexit atque Ecclesiae jurisdictioni subjecit. Pluribus igitur rationibus theologiae moralis tractationi addicitur, siquidem multiplici modo jura obligationesque inducit, quae aut sacerdotem Ecclesiae ministrum per se tangant, aut ipsos conjuges, sponsores vel despondendos respiciant a sacerdote in officio instruendos. Verum quidem est, multa matrimonium spectantia, quia directe externum forum judiciale respiciunt, juris canonici provinciae adscribi potius debere, quam theologiae moralis, cujus est ea exponere, quae ad internum forum atque relationem inter Deum et hominem ejusque conscientiam pertinent; et quatenus internum forum ab externo dirigi debet, theologia moralis illa juris praescripta potius sumere et supponere ex aliis disciplinis debet.

Sed quum tot rationibus omnia ea, quae canonicis sanctionibus de causis matrimonialibus sancita sunt, cum conscientia atque moribus christianis in matrimonio servandis connectantur: manca omnino et fere inutilis esset haec tractatio, nisi etiam summatim, quantum satis est, juris statuta attingeremus.

Sufficit autem, *ecclesiastici* juris statuta attigisse: nam quae a jure civili in rebus matrimonialibus statuta sunt, aut inania sunt et valore destituuntur, aut ad solas res temporales cum matrimonio conjunctas referuntur; quorum momentum ex iis, quae de jure et justitia dicta sunt, dijudicari debet.

Juvat hic afferre, quae Ben. XIV. *de syn. dioec.* l. 9 cap. 9 n. 3 et 4 docte adnotat: „Tria sunt causarum matrimonialium genera. Aliquae versantur circa initi foederis conjugalis firmitatem; et hae, nullo catholicorum contradicente, in solo Ecclesiae foro sunt pertractandae . . . Aliae sunt causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super jure instituendi divortium quoad torum et cohabitata-

tionem, et istae pariter ob illum respectum, quem habent ad matrimonii sacramentum, ad solum iudicem ecclesiasticum deferuntur. . . . Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere politicas et temporales directe atque immediate respiciunt, uti sunt lites, quae frequenter moventur super dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, alimentis et similibus, et istas ad iudices saeculares pertinere ex communi doctorum sensu recte docent Bellarminus et Tanner.<sup>4</sup>

Quum igitur sponsalia matrimonii initium quoddam sint et ad Ecclesiae tribunal haec quoque spectent ejusque legibus gubernentur, ab illis tamquam matrimonii praeambulo incipiamus, doctrinam de bannis addituri.

## Sectio I.

### De iis, quae Matrimonium praecedunt.

#### Caput I.

#### De Sponsalibus.

##### § 1.

##### De sponsalium natura.

<sup>657</sup> Sponsalia sunt futuri matrimonii promissio vera et deliberata, mutua, signo externo expressa inter personas habiles.

I. Ut *sponsalium* obligatio adsit, conditiones in definitione enumeratae adesse debent, sc. promissio 1) vera, non ficta, 2) cum sufficiente deliberatione et *libertate* facta, 3) mutuo acceptata, 4) inter personas *ex se*, aut nunc aut in futuro, habiles.

II. Nihilominus, etsi *sponsalium* valor atque obligatio fortasse desit, alia aliqua obligatio futuri matrimonii existere potest, etiam per promissionem exorta.

III. Quoad habilitatem aliqualis modificatio propterea apponitur, quod sponsalia fieri possunt in ea aetate, in qua propter aetatis defectum matrimonium fieri nondum potest.

IV. Sponsalia, quamquam alias sola taciturnitate non contrahuntur, censentur tamen fieri, si parentes nomine filiorum de futuro matrimonio pacti sunt, si modo filii, postquam illis intimatum fuerit, non contradixerint.

<sup>658</sup> **Explicatio.** Ad I. 1. Qui *ficta* promisit, in foro externo ita tractatur, ac si vera sponsalia fecisset, nisi fictionem probare possit: attamen etiam tum et in foro externo, et in foro interno ad injuriam fictione illatam, quantum fieri potest, reparandam tenetur; nisi forte ad injuriam, quam ipse passus est, evadendam fictum consensum posuit.

2. *Libertas plena* ad sponsalia requiritur. Et licet in matrimonio solus metus gravis injustus attenditur, ne cum periculo errandi matrimonia valida pro invalidis facilius habeantur: in sponsalibus longe alia ratio est, quippe quae sint contractus ex se non indissolubilis. Verum quidem est,

etiam in sponsalibus metum omnino levem a iudice fori externi vix attendi; at si res ad externum forum non deducitur, sed in solo interno conscientiae foro componenda est: qui sincere sibi dicere potest, se metu quocunque injusto ad matrimonii promissionem esse perductum, aliter non promissurum, obligatione implendi non tenetur, eo quod vere probabile est, metum injustum etiam levem *valori* sponsalium obstare: v. Gury-Baller. II. 724 not., S. Alph. l. 6 n. 844, qui hanc opinionem non approbat quidem, at auctoritate Navarri, Less., Rebel., Comitolo, Roncaglia etc. confirmat. — Ejusmodi sponsalia *saltem rescindibilia* esse ad nutum ejus, qui metum levem passus sit, S. Alph. l. c. ut communiorem et probabilior sententiam contra aliquot auctores severiores docet. Sive tamen sponsalia rescindibilia, sive ut sponsalia nulla esse potius senseris, id relinquitur, ut, qui metum incusserit, teneatur ad matrimonium, si altera pars velit; at, teneaturne ex veris sponsalibus, non constat.

3. Si una igitur pars matrimonium promisit, altera noluit sese obligare, <sup>659</sup> sponsalia non sunt: si prior autem sese omnino ligare voluit, alteri relinquens libertatem, matrimonii ineundi vel consilium alterius exspectandi obligatio erit, nondum tamen sunt sponsalia.

Consensum internum non sufficere, sed externe debere de consensu constare, id quidem sponsalibus cum omnibus humanis contractibus commune est.

Neque dicere: „non accipiam alteram in uxorem nisi te“, vel: „tibi semper fidelis ero“, ex se sufficit, ut sponsalia contrahantur, quia non satis exprimitur, num unquam aliquam uxorem ducere velit, vel matrimonialem fidelitatem intelligat: nisi forte ex circumstantiis illa loquendi ratio satis determinetur ad sensum absolutum.

4. Ex utraque parte promissio acceptata adesse debet, seu cum promissionis acceptione repromissio, ut sponsalia adsint. Quare sola taciturnitas ex se non sufficit: at sufficiunt, quamquam verba non adhibentur in repromissione, positiva signa, quae sive ex natura sua, sive ex circumstantiis, sive ex loci consuetudine pro acceptione et repromissione haberi debeant. Quodsi rationabiliter dubium manet, pro minimo standum est.

Cf. Bangen I. § 7, qui quaedam exempla affert: v. g. 1) si cum matrimonii promissione vel post eam juvenis annulum aut arrham tradit, quae sponsa tacens acceptat; 2) si post matrimonii promissionem ex parte viri puella concedit copulam carnalem alias non concessura; 3) juvenis cum puella amorem gerere coepit, quae ut virgo honesta eas repellit, protestans, se ab ejusmodi vanis amoribus abhorrere: quo facto juvenis matrimonium promittit, atque puella tacens familiaritatem inter sponsos consuetam nunc admittit; 4) si loci consuetudo est, sola annuli traditio et acceptatio sine expressa ullius partis promissione pro sponsalibus habetur: at si de tali constanti usu non constat, non est standum pro sponsalibus.

5. Sponsalia per se neque naturam neque obligationem ullam mutant, <sup>660</sup> sive sunt privata, sive publica et solemnna, nisi forte particularis loci consuetudo postulet, ut ad valorem certae formalitates adhibeantur<sup>1</sup>. Ad majorem morum honestatem certe convenit, sponsalia non fieri, nisi aliquo modo publica et solemnna. Stricte solemnna vocantur, si coram parcho et testibus

<sup>1</sup> Specialis autem consuetudo et lex est pro Hispania, ubi sponsalia non valent, nisi contracta fuerint publicâ scripturâ, neque illa publica scriptura eo suppletur, quod forte petitio dispensationis scripto exarata fuerit: ita ex S. C. C. *Thes. Resolutionum* 31. Jan. 1880 in *Placentina*.

fiunt: alias saltem coram parentibus et testibus ea fieri convenit. Si autem coram paroco sacro ritu fieri desiderantur, paroco cavendum est, ne omnia quoad testium praesentiam fieri permittat, quae pro matrimonii celebratione praescribuntur, ne vid. ansam det loco sponsalium matrimonium jam celebrandi. Quare singulos testes, vel plures, sed *non simul* admittat.

6. Si spondentes matrimonio ineundo inhabiles sunt, per se matrimonii promissionem sponsalia non efficere clarum est, siquidem non est in facultate spondentium stare promissis. At acriter trahitur in diversas partes quaestio, utrum matrimonii promissio sub conditione „si Papa dispensaverit“ sustinenda sit atque sponsalitia promissio, impleta conditione, evadat, necne.

De quibus, si consulis praxim Romanam, haec statuenda videntur:

1) Ex hac promissione aliqua obligatio quaerendae dispensationis et consequenter ineundi matrimonii oriri potest, maxime si Papa in hoc impedimento dispensare consuevit: quod eo magis valet, si aliae circumstantiae accedunt, quae matrimonium illud suadent aut quasi jubent. Quare ex violata hac obligatione injustitiae reatus contrahi *potest*.

2) Ante dispensationem obtentam *sponsalia* veri nominis non adesse, omnibus in comperto est.

3) Imo ne per solam quidem dispensationem, sed per liberam hujus dispensationis acceptationem ex utraque parte, quae sive implicita sive explicita promissi renovatio est, sponsalia tandem valida fiunt.

4) Antecedens illa promissio, si nude ut talis respicitur, nedum sponsalium vim unquam accipere possit, ne strictam quidem obligationem acceptandae dispensationis parere, a S. Congregatione existimari videtur<sup>1</sup>.

661 7. Si aliis conditionibus sponsalia fiunt, retinenda est doctrina, quam in genere tradunt de conditionato contractu vel actu. Nam si conditio est 1) de praeterito vel de praesenti, pro verificata aut non verificata conditione sponsalia statim evadunt aut valida aut nulla. 2) Si conditio de futuro apponitur incerta, impleta conditione, saltem si consensus spondentium retractatus nullatenus (ne interne quidem) est, sponsalia eo ipso valida et firma evadunt: haec, si conditio suspensiva erat. 3) Si resolutiva conditio apposita est, sponsalia statim valida fiunt, at impleta conditione, sine nova voluntatis declaratione obligatio cessat.

Ad II. Utcunque tandem obligatio matrimonii contrahendi adest: multum interest scire, utrum ex veris et certis sponsalibus haec obligatio oriatur, an ex alia causa. Nam sponsalia eaque sola alium effectum juridicum, impedimentum honestatis publicae, inducunt, de

<sup>1</sup> Ut harum rerum aliquod argumentum indicem, remitto lectorem ad *Acta S. Sedis*, ubi plures ejusmodi causae a S. C. discussae leguntur vol. I. pag. 80 22. Febr. 1862: insuper in *Burgnaten*. 26. Jan. 1709, *Januens*. 12. Dec. 1733, *Sypont*. 2. Maji 1857, *Benev*. 27. Nov. 1858.

quo infra n. 765. Potissimum igitur haec quaestio consideranda est in promissione matrimonii conditionata. Quam si alteruter ante completam conditionem retractat injuste, hac retractatione obligationem matrimonii ineundi non exstinguit; num fortasse sponsalium valorem impedit? — Ad analogiam aliorum contractuum videtur dicendum esse, sponsalia nihilominus fieri: nam contractus, qui solo consensu perficitur, consensu dato, sed injuste atque invalide retractato, prorsus sustinendus est: v. Lugo de *j. et j.* disp. 22 n. 384 et 388.

Similiter consideranda est promissio matrimonii sub conditione, si puella peccet nunc cum promittente. Haec enim, etiam quando *sponsalia non sunt*, tamen matrimonii obligationem ex seductione et injuria inducit, nisi forte aut deceptio ex circumstantiis puellae cognita esse debuerat, aut matrimonii infelix exitus timendus est vel similis gravis ratio excusans existit. Alias utique pro obligatione matrimonii standum est, quamquam promissio seria non fuit. Si vero matrimonii promissio seria fuit, peccati conditione impleta, habes contractum aut sponsalium, si admissionem peccati ex parte sponsae pro acceptatione et repromissione considerare licet, aut si non sponsalium quidem stricto et formali sensu, tamen contractum innominatum „facio ut facias“, in quo praecedens promissio solam aestimationem rei praestitae continet.

Cf. hac de re praxim Romanae curiae von Schulte „*Eherecht*“ pag. 292 not. 42, S. Congr. Conc. in *Lyiciens*. 18. Dec. 1718, 12. Martii 1729: „Stuprum committens sub promissione matrimonii etiam simulata, si sit paris conditionis, virginem defloratam in uxorem ducere tenetur.“ — Aliam decisionem v. *Acta S. Sedis* vol. 7 p. 657—666, quae eo tendit, ut ille, cujus promissio ineundi matrimonii probari non potest, propter defloratam virginem condemnatur, ut aut puellam ducat, aut dotem ei constituat atque alia damna resarciat secundum prudens Episcopi arbitrium.

Si vero ante peccatum vera promissio matrimonii antecessit, ita ut peccati admissio conditio non esset, at res, in quam, spe matrimonii promissi exposita, sollicitatio et seductio tenderet: tantum abest, ut vera ratio sponsalium in dubium vocetur unquam, ut potius, stante jure Tridentina clandestinitatis lege anteriore, sponsalia eo ipso in matrimonium transire censeantur; quod etiam nunc *per se* fit pro locis, ubi Trid. non viget. — Num vero haec juris praesumptio rei veritati consonet, a scientia et voluntate peccantium pendet.

Ad III. 1. Sponsalia valide fieri praesumitur, si spondentes septennium egressi sint: *antea praesumuntur invalida*. Sola certa probatio contrarii praesumptionem elidere potest. Cf. *Decretal.* l. 4 tit. 2 cap. 4, 5, 13; *Sanch. de matr.* lib. 1 disp. 16 n. 11 et 12.

2. Sponsalia, quae post septennium, sed ante annos pubertatis (i. e. quartum decimum completum in pueris, duodecimum completum in puellis) fiunt, valida sunt, at ex positiva lege ecclesiastica ne communi quidem consensu rescindi possunt in aetate puerili, sed post adeptam pubertatem intra triduum alterutri sponsorum facultas datur, non exspectata alterius voluntate vel aetate, a sponsalibus recedendi. Cf. *Decretal.* l. c. cap. 8 et 11.

Hoc triduum probabiliter sic intelligitur, ut sumi possit triduum post *cognitum* privilegium sibi ab Ecclesia datum: S. Alph. l. 6 n. 856.

Ad IV. 1. Facultas illa, quae parentibus datur loco filiorum contrahendi sponsalia eaque valida, modo ne filii, postquam illis intimatum fuerit, contradicant, ad solos parentes restringi debet. Igitur ad alios, qui fortasse paternam potestatem exercent ut tutores, haec potestas transferri nequit. Nam quia libertatis filiorum quandam restrictionem continet, principio uti debemus: Odiosa sunt restringenda.

2. Valor talium sponsalium solum ex praesumptione oritur, ita ut sit juris quidem praesumptio, at si re ipsa filii interne dissenserint, id vero manifestare ausi non sint, sponsalia vera non existant, neque per se obligatio conscientiae ad ineundum matrimonium. Imo si talis voluntatis defectus externe probari potest, etiam in foro externo coram ecclesiastico iudice praesumptio cedere debet veritati.

Cf. Bangen I. § 7, ubi habes alios scriptores laudatos.

## § 2.

### *De sponsalium effectu.*

<sup>663</sup> I. Sponsalia valide inita speciali titulo obligant sponsos, ut sibi fidem servant: quare qui cum altero peccat, contra hanc fidem datam agit.

II. Oritur obligatio matrimonium suo tempore contrahendi, i. e. tempore fixo, si quod constitutum est, alias quum primum alteruter rationabiliter petierit, ita ut diuturna dilatio, nisi fiat ex utriusque consensu, ex se gravis fidei datae violatio sit; quod multo magis dicendum est de injusto a sponsalibus recessu.

III. Qui sine justa causa a sponsalibus resilit, 1) a iudice ecclesiastico etiam per censuras ad matrimonium compelli potest, 2) arrham vel munera data amittit, 3) damnum si quod ortum est, ut propter expensas factas, aut quod sponsa derelicta, utpote macula quadam aspersa, nuptias inire difficiliter potest, reparare debet.

IV. Sponsalia, quum primum valida facta sunt, impedimentum canonicum matrimonii dirimens inducunt relate ad consanguineos alterius sponsi in primo gradu: ita ut sponsus sponsae suae matrem, filiam, sororem valide ducere nequeat, neque sponsa sponsi patri, fratri, filio nubere valide possit.

<sup>664</sup> **Explicatio uberior.** Ad I.: Acriter controvertitur, utrum peccatum, quod sponsi fortasse cum extraneis personis committant contra mutuum fidem, adeo grave sit, ut novae seu distinctae malitiae speciem inducat. Quod fieri dubium non est, si quis sponsam alienam violenter oppresserit, nam praeter stupri peccatum gravis injustitia contra sponsum committitur. Idque etiam ab ipsis sponsis libere peccantibus cum aliis personis fieri, valde *probabile* est. Attamen quum, teste et approbante S. Alph. l. 6 n. 847, multi iique graves scriptores censeant, de distincta injustitiae malitia gravi non constare, eo quod per tale peccatum non contrahatur defectus,

qui *per se* sub gravi manifestandus sit, nisi puella conceperit (v. infra n. 670): hanc sententiam confessarius de integra poenitentis confessione sollicitus amplecti potest, ne de tali circumstantia in peccatis luxuriae interrogare se debere opinetur.

Ad II. 1. Dilatio diuturna ex parte sponsi facilius gravis esse potest, quam ex parte sponsae. Nam sponsus sponsam, quae dilationem forte traxerit, facile monere eamque sic urgere potest; sponsa vero frequentius prae verecundia non audet monere et urgere sponsum. Quare sponsus, etsi non moneatur, sub gravi teneri potest non longas moras trahere.

2. Haec dicta sunt solius promissionis sponsalitia et juris mutui habita ratione. Si enim morum periculum respicimus, evidens est, post sponsalia inita matrimonium diu differri non debere, sed utrumque sponsum a confessario vel parochi urgendum esse, ut brevi matrimonium contrahatur. Quodsi gravis et legitima causa obstat, a consuetudine mutuae visitationis sponsi prorsus retrahendi sunt.

Ad III. 1. Obligatio standi sponsalibus per se omnino subsistit,<sup>665</sup> etsi secundae puellae matrimonium promissum, idque aut juramento, aut copula carnali confirmatum sit.

Quod vero non pauci scriptores ultimum casum exceperunt, ex eo videtur esse, quia, antequam impedimentum clandestinitatis valuit, promissio matrimonii, *secuta copula*, transire censebatur in ipsum matrimonium: nam jure supponebatur, eos, qui ita agerent, quam minimum peccare velle, adeoque copulam non fornicariam, sed conjugalem ab iis admitti. Ceterum si cum secunda puella vir peccaverit, maxime si haec gravida evasit, suadendum est priori puellae, ut juri suo renuntiet. Quod si nolit, secundae puellae pro deceptione et injuria compensatio concedi debet.

2. Quamquam ipsa ecclesiastica censura ille, qui injuste a sponsalibus recedit, cogi possit: raro tamen expedit, ut ad id veniatur, multo minus, ut ulterius progrediatur: S. Alph. n. 846. Nam quum matrimonium a libero consensu essentialiter dependeat, qui ne poenis quidem ecclesiasticis movetur, ut obligationem suam impleat, aliter cogi jam non potest. Quare tandem suae conscientiae relinquitur, et adigitur ad justam damni compensationem: quae etiam non raro conscientiae foro relinquitur et communiter secundum convenientem puellae dotationem aestimari solet. Cf. von Schulte *Eherecht* p. 293 et 296, Bangen op. cit.

3. Arrha restitui debet, si aut justa causa dissolvendi matrimonium est, aut qui arrham dedit, mortuus est. Idem de aliis muneribus teneto, quae intuitu matrimonii data sunt, nisi forte ratione conditionis donatoris minoris sunt momenti neque reclamatio fit, ita ut condonatio spontanea et absoluta supponi possit.

4. Poena conventionalis, si pro omni casu, etiam justae dissolutionis sponsalium, statuitur, illicita est, neque jure solvenda, siquidem libertati matrimonii obstat; at poena contra *injuste* recedentem licita est, et obligat: S. Alph. n. 853.

5. Compensatio damni maxime tum necessaria evadere potest, quando sponsa a sponso injuste relinquitur. In opposito casu rarior quidem erit vera damni causa: at id nunquam interna ratione niti — ut Schulte l. c.